

# PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

dilecto filio *Friderico Limon*, e Societate Verbi Divini, electo Archiepiscopo titulo Aquavivensi atque Coaddiutori cum iure successionis sacri Praesulis Lingayensis-Dagupanensis, salutem et apostolicam benedictionem. Illius Christi studiosissimi: "Pasce agnos meos... pasce oves meas" — Io. 21, 15-17 —; itemque beati Petri, apostolorum principis: "pascite qui in vobis est gregem Dei" — 1 Pet. 5, 2 —, quantum possumus maxime id omni cura atque diligentia complectimur, ut singulis Ecclesiis aptos provideamus pastores; qui fuerint vivae virtutis imago, fieri non potest, quin et populi non eorum vestigia persequantur. Quam ob rem, cum venerabili fratri Mariano Madriaga, Archiepiscopo Lingayensi-Dagupanensi Coadiutorem iustis de causis dare oporteret, bene fieri censuimus si Te, dilecte fili, ad tale munus destinaremus, quem sive ingenii laures ornant, sive pietas sincera distinguit atque usus rerum haud minimus, regendo populo Dei perutilis. Quae cum ita sint, Te simul Archiepiscopum nominamus et renuntiamus Sedis titulo *Aquavivensis*, quam sane pro hac vice, ut dicunt, in archiepiscopalium redigimus, eiusdemque vacantis per successionem venerabilis fratris Vincentii Faustini Zazpe ad metropolitam Sedem S. Fidei in Argentina, sive Coadiutorem cum iure successionis sacri eius Praesulis cuius mentionem fecimus, cum iuribus et oneribus, quae per apostolicas Litteras "*Ecclesiae Sanctae*", die sexto mensis augusti datas, anno MDCCCLXVI, describuntur. Antequam autem episcopalem consecrationem accipias, a Nobis Ipsi in Petriana Basilica Romae peragendam, tuum erit sive fidei professionem facere, teste venerabili fratre Nostro S. R. E. Cardinali Cancellario, sive ius iurandum fidelitatis erga Nos et Successores Nostros dare, teste S. R. E. Cardinali Protodiacono, iuxta probatas formulas. Oblatam autem occasionem non omittimus clerum atque populum tuae dicionis hortandi, ut sive nunc Coadiutorem, sive in posterum Archiepiscopum filiorum reverentia prosequantur, atque mandata tua faciant, ut eos addecat. Tu autem id curabis, ut hac Litterae Nostrae iisdem omnibus, clero scilicet atque populo, perlegantur, die festo, in cathedrali templo. Ceterum, dilecte fili, si veram gloriam quaeris, prima Tibi, praecipua, antiquissima sit divinae gloriae procurandae cura, cum nihil tam in hominis honorem recidat, quam summi Numinis laus et ornamentum. Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo altero, Pontificatus Nostri nono.

ALOISIUS CARD. TRAGLIA

S.R.E. Cancellarius

FRANCISCO TINELLO  
Apostolicam Cancellariam Regens

JOSEPHUS ROSSI, EPIS.

PALMYREN

Proton. Apost.

Expedita die febr. a. Pontif.  
IX. M. Orsini Plumbator

JOANNES CALLERI, Proton

Apost.

In Canc. Ap.tab.vol CXL n. 47